



**R. P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

Regnault, Valère <1543-1623>

Mogvntiæ, 1617

Cap. 7. De suscipiente Sacramentorum,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78477](#)

CAP V T VII.

De suscipiente Sacramenta.

S U M M A R I V M .

50. *Solus homo presentem vitam agens, capax est sacramento-
rum: ad quorum validi atem illius intentio est necessaria,
& qualis.*
51. *Recta fides requisita in adulto suscipiente sacramen-
tu, ut per illud gratiam confundatur: itemque penitentia, & qua-*
52. *Earundem conditionum defectus, non obstat quin sacra-
mentum vere suscipiat, excepto paucis: & sacramen-*

50.

Solus homo dum versatur in hac vita, in qua peregrina-
tur a Domino, capax est sacramentorum. Ea enim insti-
tuta sunt ut medicalia humanae naturae. Postquam autem
homo, obit morte, ad gloriam aeternam vita terminum
peruenit, non est amplius capax talium medicamentorum.
Beatus enim tanquam bene valens, non habet opus medico:
damnatus autem tanquam male valens, omnino despera-
tus ea excludit. Nam ad validitatem sacramenti (*excepta Eu-
charistia, qua in esse, non dependet a suscipiente*) in eo qui illius
capax est, requiritur intentio positiva suscipendi in institu-
tione Christo sacramentum: et si necessaria non sit in illo (*vi nec
in ministrante*) rectudo intentionis quia velit suscipere pro-
pter finem in quem a Christo est institutum; sed propter ali-
quem alium, ut propter lectorum, aut corporalem sanitatem,
aut aliud eiusmodi. Quamquam quoad infantes, qui non
possunt propriam intentionem habere, sufficit parentum,
vel offerentium, vel ministri intentio: sicut ad peccatum
origine contrahendum sufficit illis voluntas primi parentis
Adami. *De qua re in sequenti lib. cap. vltimo.*

Itaque ex cap. Maiores, *De baptismo* §. penult. in adultis,
in quibus requiritur propria intentio, propriusve consen-
sus, sacramentum invalidum est ex defectu intentionis illud
suscipiendi: ut cum quis omnino inuitus suscipit; aut per vim
absolutam suscipere cogitur. Non vero (*ex e. dem §. penult.*)
si tantum metu sive iusto, sive iniusto: & sive leui, sive gra-
ui: dummodo vere velit suscipere, neque fingat. Satis autem
est, ex communi Theologorum sententia, (*prout Suarez te-
statur in memorato tom. 3. disput. 14. sect. 2. q. 1.*) ut intentio
sit virtualis sicut in ministro: immo & interpretativa: quam
praeceperit positiva actualis in qua fundetur, sufficiere po-
test, ex cit. cap. Maiores §. vltimo. Confirmaturque per illud
quod ex cap. Agrotantes, *De confessat. distinet. 4. amen-
tes, vel furiosi, vel morbo oppressi, capaces sint sacramen-
torum Baptizimi, & penitentie, quando habuerunt prae-
cedentem voluntatem a suscipiente: quod idem de aliis sacra-
mentis pari ratione dici potest.* Hac eadem Sylvestre ha-
bet in verbo, *Baptismus* 4. q. 14. quae planior fient per
dicenda de baptismo ipso, in memorato cap. vltimo.

51.

Amplius ad consequendum priuarium sacramenti effe-
ctum, *qua est gratia faciens, in suscipiente qui ad an-
nos discretionis peruererit, praeceperit ex parte intelle-
ctus, ut rectam habeat fidem, sine qua impossibile est place-
re Deo, ad Hebreos cap. 11. ex parte voluntatis vero (*quod
patet ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 1.*) ut de peccatis commissis
nabeat vera penitentia: qualis est que excludit omnes
mortaliter peccandi voluntatem, tanquam directe repugna-
tem gratiae gratiam facienti, nec eam secum patienti in e-
dem subiecto. Veruntamen, *ut in cap. Omnis qui, De conse-
rat. dis. 4. sub. fin. m. dicitur, ab hac penitentia parvuli cum ba-
ptizantur immunes sunt: quia nondum possunt velibero
arbitrio.* Hac quoque illustrabuntur per dicenda in codem
cap. vlt. vii. etiam, iupposito eo, quod ante ostensum est,
sacramenta, omnia posse conferre primam gratiam, pat-
bit non esse necessarium, ut talis penitentia sit vera contri-
tio, hoc est, quia propter Deum ex charitate dilectum, super
omnia detestemur peccatum, prout est illius offensa: sed
sufficere, ut sit attritio, hoc est, ex Concil. Trid. in sequenti cap. 4. dolor de peccatis commissis, qui excludat voluntatem peccandi, & oriatur ex supernaturali auxilio Dei, ver-
seturque circa obiectum supernaturale fide cognitum: ut
est turpitudine peccati, quam omnium maximam esse ostendunt.*

sacra eloquia: & timor gehennae, aut amissionis externe glo-
rize; talis enim dolor sufficienter tollit ab homine effectum
peccati mortalis: ideoque & obicem diuinam gratiam, quam
sacramenta ex opere operato conferunt, non potentibus
obicem: ex definitione Concilij Trid. sess. 7. De sacra men-
tis in genere, can. 6.

Nec est quod quis dicat requiri contritionem, propter
reuerentiam debet sacramento: quia satis reuerenter ac-
cedit, qui secum adserit dispositionem ad hoc necessariam, ut
non impediatur effectus sacramenti. Quod in baptismis &
in sacramento penitentiae concedatur, concedetur etiam po-
test in aliis sacramentis, cum & ipsa possint conferre prima
gratiam. Si enim veram contritionem requirent in susci-
piente, requirent consequenter & gratiam, que illam sine
sacramento in re suscepto sequitur, iuxta promissum factum
Exechielis 18. Covertimini, & agite penitentiam ab omnibus
iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruporem iniquitas.] Negat refert quod baptismus, & penitentia per se & di-
recte recipiant peccatum tamquam materiam, & vera sacra-
menta non item: quoniam satis est quod secum adferant
gratiam iustificantem, per quam apta sunt illud tollere a
suscipiente dispositio. Quamquam tamen propter reueren-
tiam summatam qua debetur maiestate Christi in Eucha-
ristia contenti, merito in Concil. Trid. sess. 13. cap. 7. praecipi-
tur, ut nullus qui sit sibi conscientia peccati mortalis, quan-
cunque sibi contritus videatur, ab his sacramentali con-
fessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat.

Ceterum quamus ille qui sine duabus praedictis dis-
positionibus (*recta fide: in qua: m. & penitentia*) sacra-
menta ininde digna suscipit, non recipiat, prout dictum est, gratiam sa-
cramenta: vere tamen suscipit sacramentum: vnde si illud
sit ex imprimitur characterem, hunc imprimit indele-
bilem. De qua re Suarez in citat. a. 14. sub fin. m. ratio-
nem adferens, quod in secundum Catholicam Ecclesie ritu
baptizati: sunt aut ordinati in heresi, non baptizentur
denuo, aut ordinentur, si resipescentes ad Ecclesiam Ca-
tholicam relata hæresi reuertantur; quod satis ostendunt
validum posse esse sacramentum non obstante defectu veri
fidei in suscipiente, aut carentia penitentiae antea descri-
pta eumdem defectum sequente: quandoquidem talis peni-
tentia cum sit supernaturale dispositio voluntatis, requirit
supernaturale Catholicæ fidei lumen: quo proinde defi-
ciente illam abesse necesse est. Neque sequitur si infidelitas,
aut aliud peccatum mortale tollat gratiam, *qua est præcipua
effectus sacramenti, tollere debere etiam ipsum sacramentum.*
Nam causa non dependet in esse a suo effectu quo priore est.
Nec si peccatum mortale directe repugnat gratia, sequitur
pariter repugnare characterem, obicemque illi deponere in
subiecto: quia licet sunt effectus eiusdem causa, non sunt ra-
men eiusdem rationis, sed diuersæ, ut satis patet ex antedictis.
Bene vero idem author ibidem notat, peculiare effectum
sacramento penitentiae, ut quia iam dicta penitentia, que
in aliis sacramentis tantum est dispositio, in eo pars est es-
sentialis: ipsum nullo modo sine eadem perfici posse.

CAP V T VIII.

De peccatis quibus obnoxii sunt ministrantes, aut sus-
cipientes ininde sacramenta, & eorumdem
cooperatores.

S U M M A R I V M .

53. *Indigne sacramenta tractare, peccatum est, suo genere mor-
tale: & gravissimum si quis ea conficeret tenter non ha-
bens potestatem.*
54. *Quid de eo qui non est certus, an talem potestatem habeat.*
55. *Quatenus soli Sacerdotes censemur ministri sacramen-
torum.*
56. *Mutare materiam, aut formam in administracione sacra-
menti, aut vi incerta, aut non erucrem. dum ab ecclesia
prescriptum, peccatum est de mortale.*
57. *Peccatum est suo genere mortale, sacramentum ministrare
in statu peccati mortali.*

- 58 Anid habeat locum in illo qui ex necessitate administrat, nec est ad tale officium consecratus.
- 59 Quatenus peccat in sacramentorum administratione, omit-
tens eam non ab Ecclesia prescriptas.
- 60 Duo modi quibus contingere potest obligatio suscipiens sa-
cramenta.
- 61 Peccatum est mortale sacramenta sine dispositione suscipere;
ac etiam talis indigne*suscipient* illud
- 62 Peccat mortaliter minister trans sacramentum suscipiens illud
indigne*suscipient* illud, aut iniusta proximi laiso ex*usset*,
- 63 Ignorantia quoque probabilitate*potest* ab*cod. m. ex. usset*.
- 64 Non licet sacramentum petere ab eo qui non*quod illud valide,*
aut di. ne ministrare.

Hic pertinent quae late tradit Suarez in eodem tomo 3.
Ad 3. par. D. Thomae disput. 16. 17. & 18. vnde sumimus
aliquot documenta, ex quibus iudicari possit de talibus peccatis.

Primum est, multorum aliorum fundamentum, digne tra-
fenda esse sacramenta, sive dispensanda sint, sive recipien-
da: sunt enim res sacræ, quas indigne tractare peccatum est
suo genere mortale: quia committitur contra religionem,
nobilissimam virginitatem, & contra honorem Deo debitum:
reponiturque à D. Thoma 2.2, quæst. 99. art. 3. inter graui-
res sacrilegij species.

Documenta de ministribus.

S E C T I O P R I O R.

Secundum est: graue sacrilegij peccatum committere eū,
qui tentat confidere sacramentum, cuius confidiendi
nō habeat potestatem: Tum quia facit contra Christi institu-
tionem, qui certos instituit sacramentorum ministros: Tam
quia quantum in se est, prauum ritum in conficiendis
sacramentis introducit: & factio ipso falsam doctrinam pro-
ficitur: Tum demum quia deceptione vitatur, ex qua sequi-
possum grauia animarum pericula, & scandala. Qui autem
habeant huiusmodi potestatem intelligetur, cum in se-
quentibus docebitur suis locis, qui sint singulorum sacra-
mentorum proprii ministri.

Tertiū: si quis incertus sit an talem potestatē habeat,
netemere exponat se periculo faciendo sacramentum irritū
nunquam ea debere vti, excepto casu, quo pensatis diligenter
circumstantiis omnibus, iudicet probabilius esse, quod talē potestatē habeat, quam quod non habeat. Cuius ex-
ceptionis ratio est: quod talis tunc excusat a culpa tanquā
is quirationis præscriptum seQUITUR, alioquin (quod forē val-
dandum) continget perplexitate conscientia, pias animas
ordinarie angui: quandoquidem vt in salubribus, & insal-
ubribus sic in agendis, vel fugiendis in spirituali vita non in-
est ordinarie constantia illa, quæ requiritur ad plenam cer-
titudinem cognitionis, sed potius magna varietas ex varia
circumstantiarum mutatione. Ita docens Suarez, in eod. tomo
3. disput. 16. sect. 1. dict. primo sub fine, adhuc addit exceptionē
aliam. Nisi necessitas grauia vrgeat, cui non possit alias secu-
tore via subueniri. Et merito addit: quia nec tunc, licet de
sua potestate aliquatenus incertus, agit contra rationem: cum
vt supponimus, iudicet non sine probabilitate, quod in tali
casu habeat sufficientem potestatē: neque licet contrariū
quæ probable, aut etiam probabilius forte videatur: ex-
ponit se temere pericolo faciendo sacramentum irritū: sed fol-
lummodo tale periculum, tanquā non certum patitur: seu
permittit ad obviandum necessitatē vrgeat: interea solici-
te curans, ne quod aliud detrimentum in Dei, vel proximi
ministrorum, sacramenti administratio patiat.

Quartum documentum est quod in dicto 2. idem aucto*sub-*
mittit ex D. August. lib. 2. contra Parmenianum cap. 13. solos Sa-
cerdotes per se loquendo potestatē habere administrandi
sacramenta; quia collatio sacramēti est actio sacra, ad quam
digne perficiendam minister consecratur. Excipitur tamen
matrimonium, quod cum in quodam contractu constat,
a contrahentibus perficitur: itemque baptis̄mus, qui virgin-
te necessitate potest etiam a laico quocumque conferrit; vt
suo loco exp̄ponetur in sequentib⁹ libro. Quamvis autem hu-
iusti modi potestas sufficiat ad conferendum valide sacramen-

tum (excepto sagam non penitentia, ad cuius via iest item requi-
ritur iurisdictio, cum sit actus iudicialis) non tamen ad conferē-
dū licite: nisi ad illam accedat potestas iurisdictoris: vel or-
dinaria, qualis inest pastoribus, in ordine ad oves sua cura
commissis: vel delegata ab eo, qui est ordinarius pastor. Ra-
tio est: quia cōstat ex cap. 20 Euangeli D. Ioannis, & ex cap.
4. epistola D. Pauli ad Ephesios, aliquos Christi institutione
esse in Ecclesiis aliorum pastores, qui animarum curam ge-
rant, ad talesque pertinere ius, & officium ordinariū, ouibus
propriis dispensandi sacramenta, quæ sunt animarum me-
dicinae: iū aut peccent graviter etiā, quamcumque pari
sacerdotali, aut Episcopali potestate praediti, qui sine com-
missione legitima presumunt alienis ouibus sacramenta ipsa
dispensare: tanquam illi, qui indebito modo utantur po-
testate sibi data, non seruando distributionem ouium ab
Ecclesia factam congruenter, antedicta Christi instituicio-
ni, usurpandoque illegitime aliorum ministerium.

Quintum documentū est: omnes. quotquot licet & possunt,
obligari ex charitate sacramenta alii ministrare: dum ex-
trema aut alia grauia necessitas vrget, adeout sine iusta cau-
sa id omittere, peccatum sit mortale iuxta communem do-
ctrinam de cleemosynā. Obligantur vero ex iustitia ad ean-
dem ministracionem illi quibus ea incumbit, vel ex officio,
vel ratione stipendi, aut promissionis, aut pacti cu rationa-
bilitate tale debitum ab ipsis exigitur. Quod negando quia
violatur iustitia in re notabilis (sicur pl. rūnque alias retinendo
alienum) mortaliter peccatur, nisi aliqua iusta causa excuter.

Sextum documentum est, quod late tractat Suarez in ea-
dem disp. 16. sect. 2. Sacramentorum ministru iure diuino
teneri in illorum vsu seruare integras materias, & formas à
Christo institutas: sc̄usque faciendo graue peccatum sacri-
legij committere: quia magnam iniuriam inferret tum sa-
cramentis quæ ex eo redderentur irrita, ac nulla: tum Chri-
sto in eo, quod nouus ritus introduceretur cōtra ipsius in-
stitutionem: tum denum fidelibus, qui frustrarentur veris
remedii sua salutis. Neque in hacre potest quis excusari
per ignorantiam iuris: quia nemo ignorans quæ requiriuntur
ad substantiam sacramentorum debet se ministerio illorum
ingerere, quin prius tamē ignorantiam depulerit. Per igno-
rantiam autem facti excusari potest aliquando, saltē à
mortali, vt cum quis in aqua consecrat, aut aliquod verbum
formæ omittit per inaduentitiam inculpabile: qualis cen-
seri potest, contingenſ cum quis bona fide, & intentione
procedit, adhibetque moralē diligentiam, quam ordina-
rie adhibere solent diligentes, ac timorati. Nec item excusa-
ri potest ob materia paruitatem, quia talis materia semper
est grauia: cum ex illa pendeat tota substantia, & validitas
sacramentorum

Septimum documentū est: ministrū in administratio-
ne sacramenti, materia, vel forma incerta videntem sine vr-
genti necessitate, mortaliter peccare, ob periculum cui se
deponit faciendo sacramentum irritū. Necessitas autē vr-
gens tali peccato excusat eodem modo, quo in casu tertij
documenti. Videri potest in eadem sect. 2. Suarez.

Ex quā sectione amplius habetur octauum documentū
peccatum mortale esse, non seruare eum modum talis ma-
teria, vel forma queri Ecclesia præscribit: vel quem vni-
uersali, ac recepta consuetudine obseruat. vt g. in Ecclesia
Latina, consecrare in pane fermentato, vel consecrare in
vino sine aqua admixtione. Ratio est: quia violare Ecclesia
præceptum in re graui legitime datum, peccatum est graue.
Pro re graui autem habendum ritum, quo vniuersalis
Ecclesia vtitur in administratione sacramentorum ad pro-
mouendam fideliū pietatem, nemo Catholicorum nega-
uerit. Quoniam paululum in predicto modo deficeret,
excusat esse potest à mortali (sicur & in pleris que aliis) ra-
tione paruitatis: quia muratio facta in illis non reddit sacra-
mentum irritū, sicut facta in materia vel forma.

Nonum documentum est, quod idem aucto late tractat in
seq. sect. 3. qui sacramentum confert ex officio tanquam mi-
nister deputatus, seu confeccatus ad tale ministerium teneri
se præparare ad gratiam, vt illud sancte exerceat: ita ut pec-
cer mortaliter, si sciens & volens illud in statu peccati mor-
talis exerceat. Ad confirmationem huius, in quibus com-
muni Theologorum consensu receptum esse, plures authoritates

NAL
SIS

& rationes id est author habet. Sufficit autem illa ratio familiaris, quam ad idem ostendendum specialiter quoad Sacramentum penitentia, ut si sumus in prima par. lib. i. num. 161. nempe quod ministerio sacramentorum uti vase immundo sit irreuerentia Dei propter indecentiam quae sacramentum, res adeo sancta, vereque hominem sanctificans, tractatur tanquam prophana. Quae indecentia potest esse tantum, ut ob notabilem Dei irreuerentiam quam coniunctam habet, censeatur peccatum mortale. Cum ergo immunditia peccati mortalis sit infinita, maior, quam quecumque alia: & concursus ministri deputati ad huiusmodi ministerium longe propinquior, excellentiorque sit quocumque concursu virorum: certe maxima irreuerentia est: quae mortali criminis contaminatis, audet exhibere ministerium in sacramentorum perfectione; praeferunt enim id faciat, tanquam Christi, principaliter tunc agentis, instrumentum rationale; ad id deputatum per consecrationem sacramentalem, in qua anima puritas, nisi obicem posuerit, data est ei in infusione gratiae ex opere operato. Quae quidem satis ostendunt peccatum in eo committi suo genere graue, & eo grauius, quo iniurias ministri maior fuerit, & sacramentum dignius.

Hincque Suarez bene colligit, Sacerdotem ministraturum sacramentum, si in peccato mortali sit, teneri ad contritionem, quae cum Dei auxilio semper haberi potest; vel si attritionem solum in se agnoscat, teneri sacramentalem confessionem praemittere, ut ex attrito fiat contritus: quia ut constat ex Concil. Trid. scilicet 14. cap. 4. peccator per solam attritionem non disponitur sufficenter ad gratiam consequendam. Ceterum in hac re excusat ignorantia probabilis, quae quis facta diligentissimae discensione, non est sibi conscientia peccati mortalis, vel probabilitate existimat contritum: cum forte tantum sit attritus. Ne autem putet quis doctrinam hanc duriorem esse ex nomine, quod sit difficile, sic auerteri a peccato, & ad Deum converti, ut quis huius summo amore, illius affectum omnem exuat (quod ad contritionem requiriatur) aduertere debet Dei auxiliu omnibus, & semper praefecto esse: ratione cuius quisque dicere possit cum D. Paulo ad Philip. 4. Omnia possimus in eo qui me confortat. Neque difficit ultatem eam aliunde prevenire, quam ex nostra malitia, qua ob prauam consuetudinem, vel ob proximam peccati occasionem, quam prae manibus habemus, ita obstinante afficiunt ad peccatum, ut vix ex eo restringere posse videamus; quod totum pendet ex mala voluntate nostra, quam in bonam mutare possumus est in nostra libertate: alioquin non daretur de eo praeceptum.

De eo autem qui non ex officio, & tanquam publicus Christi, Ecclesieque minister: sed solum ob necessitatem, sacramentum ministrat (ut poteſt laus baptismum virgente necesse) an tencatur quoque sub pena peccati mortalis se ad gratiam consequendam disponere per contritionem, si conscientia sibi sit peccati mortalis, grauius controvacia est inter Theologos: quam idem Suarez in eadem disputatione 16. sect. 4. tractat. Nobis autem satis est; tamen quidem esse partem affirmantem: sed negantem teneri posse; tum ob auctoritatem D. Thomas & aliorum quos idem citat: tum quia censendum est minus oneris imponi illis, ad quos per se non pertinet cura, & administratio sacramentorum, nec ad eam consecrationem deputati sunt: sed solum per accidentem ea permittitur ipsis ob necessitatem: minus in quam oneris quam illis qui ex officio ministrant, consecratio per se sunt ad illud munus tanquam propria Christi instrumenta: quibus incumbat specialis obligatio conformandi seu sanctificandi suo principaliter agenti. Quae ratio, cum solum nitatur benigna quadam interpretatione generalis documenti de digne tractandis, & dispensandis sacramentis, praemonimus partem affirmantem tuiorem esse, quae ideo consulenda est in praxi.

Aduerte obiter (de quo idem ibidem in fine) constare de baptismo quod is virgente necessitate possit ab alio ministrari quam per consecrationem deputato: non item confirmationem, penitentiam, ordinem, & extremamunctionem. De matrimonio vero, & Eucharistia esse aliquam difficultatem suis locis tractandam.

Decimum documentum est. Instruere sacramentorum

in eorum administratione, teneri seruare non modo essentia, seu necessaria ex Christi institutione ad illorum validitatem: sed etiam solemnitatem ad ceremonias ab Ecclesia institutas. Hoc patet ex definitione Concilij rid. scilicet 7. De sacramentis in generis can. vlt. & ex recepta confuetudine universalis Ecclesie, atque ex communis Catholicorum consensus: ita alter faciens peccet mortaliter, cum negligenter seruare, ut omnis superflua, aut impertinentia. Nam in eo magnam iniuriam infert Ecclesia, adeoque Spiritus sancto, cuius instinctu per illam instituta sunt ciuii modi ceremonia, de quibus talis indigne sentit. Peccet item idque grauius, aut minus grauius, promovit scilicet vel minori grauitate materia, is qui etiam tantum ex fragilitate sciens & volens negligit eas seruare. Id quod prudenter iudicio relinquitur, cum ex unaquaque in particulari agitur. N. que in genere alius status potest: quam grauiores esse, & culpabilius omitti ceremonias illas, quae instituta sunt propter sacram significationem, quam illas, quae sunt tantum propter ornamentum, & decentiam quandam. Atque inter instituta propter sacram significationem illas grauiores esse, culpabiliusque omitti, quarum significatio est altior: ut est p. multis aliis in azymo pane, & in vino habente aliiquid aqua admixtum, confidere sacramentum Eucharistie.

Documenta de suscipientibus sacramenta, & de co-operat. ribus tam eorum, quae ministrantur.

SECTIO POSTERIOR.

Vnde decimum documentum est. Obligationem suscipiendi sacramenta dupliciter posse contingere; uno modo per se, quando ea imponitur obesse cum proprio, rituitateque ex sacramento ipso prouidentem, ut cum precipitur annua confessio, vel sacra sumptio Eucharistie in Paschate. De qua obligatione nihil occurrit in genere dicendum. In particulari vero cum de singulis sacramentis agitur docendi est, num aliqua sit imposita de eorum suscepione, & quae nam sit. Altero autem modo talem obligatione contingere posse per accidens, ut quando ob exterrit aliquem finem, ea censetur adesse: ut ob necessitatem vincendam virginem temptationem, aut propulsandam imminens scandalum, aut obviandum proximo periculo graui, aut quidam eiusmodi.

De qua obligatione illud in genere notandum occurrit: peccatum quod illius violatione committitur non esse specialiter contrarium virtuti religionis (sicut est illud quod violatione praecedentis obligationis committitur) sed ei virtuti, ex qua ipsa eadem obligatio oritur. Si enim oriatur ex castitate, ut quando virginis necessitate vincendam temptationem carnis, violatio illius, malitiam habebit contrarium castitatis. Quando vero imminet scandalum proximi, aut necessitas eius virginis, quia talis obligatio ex misericordia oritur, violatio eius, peccatum erit contra misericordiam, & sic de ceteris.

Duodecimum documentum est. Eum qui sacramentum suscipiunt teneri sub graui peccato, omnia praestare, quae parte ipsius necessaria sunt ad validitatem sacramenti, vel ad decentem modum suscipiendi illud, requisita sunt; sive ex natura rei, sive ex precepto Ecclesie. Ratio est, quia si suscipiens sacramentum non adhibeat suum concursum necessarium, ut sacramentum fiat, & decenter, ac cum debita reuerentia suscipiat, prout ratio postulat, non erit sacramentum digna suscepit, sed indigna, ac sacrilega irrisio, grauiusque & iniuriosa Ecclesie deceptio. Sic igitur grauer peccat qui sine intentione, de qua dictum est in præp. cap. septimo, sacramentum suscipit. Deinde est qui sacramentum suscipit, cuius non est capax, ut si feminina velit ordinari, vel homo fanus vngi extrema unctio, vel religionem approbatam professus, aut ad subdiaconatum promotus velit matrimonium contrahere; vel sine dolore, & confessione peccatorum, sacramentaliter absoluiri.

Decimum etiam documentum est. Suscipientem sacramentum teneri sub mortali, ita dispositum accedere ad illud, ut non ponat obicem effectui principalis illius, qui est gratia sanctificans. Ratio est: quia cum sacramenta, institutione

Christi

Christi sunt efficacia signa talis gratia: seu que illam efficiant significando: is qui ipsa recipit, tali effectu ponendo obiciem, quantum in se est inanem reddit, & falsam eorum significationem: ideoque graue sacrilegium committit. Sic enim ex Apostolo in priori ad Corinth. 11 qui Eucharistiam indigne sumit, iudicium sibi manducat & bibit, non disudiens corpus Domini. Ea autem dispositio, ut in cit. cap. 7. proposuimus, est certa fides, & praesentia in ea, qui sibi conscientia est peccati mortalis. Quibus additæ relaxationem vinculi excommunicationis, quo irreitus ab omnium sacramentorum perceptione excluditur, ex cap. Nuper, De sententiæ excommunicationis. Item dispensationem ab irregularitate, ob quam irregularis ab ordinum perceptione renicitur.

Decimum quartum documentum est, Peccare non modo indigne administrantes, aut suscipientes sacramenta, sed etiam cooperantes illis ad indigne ministrandum, vel suscipiendum. Hoc enim est commune peccatis omnibus, ut illos contaminentur, tam conscientes facientibus, quam facientes ex cap. 1. ad Rom. in fine. De qua regimur in praeced. lib. 16. cap. 3. documento tertio. Videri etiam potest Nauar. in Enchir. cap. 11. num. 12. & 13.

Decimum quinimum documentum est, Graue peccatum esse ministrare sacramenta iis, qui ad illa indigne accessunt. Ratio est, quia id est cooperari illorum sacrilegæ susceptioni, & agere contra fidem, & prudentem, ad quam tenentur, sacramenti dispensationem, ac contra cultum, ac reverentiam sacramento debitam. Ad confirmationem facit, quod cum Sacerdos teneatur Eucharistiam in loco decenti collocare, si illam prolieret in terram, grauerit peccaret contra officium suum: multo ergo grauius peccabit eam porrigendo indigno, quandoquidem peccati mortalis turpitudine, quamunque aliam longe superat. Nonnunquam tamen per accidens licitum esse potest, dare aliquod sacramentum indigno (ut verbigratia, Eucharistiam occulto peccato-riam publice petenti) ad vitandum scandalum, vel iniustam proximi infamatiōnēm. De qua re satis constare videtur ex facto Christi, qui ipsam Eucharistiam porrexit lude proditori. Et ratio est: quia exterior receptio sacramenti, ad quam cooperatur ministrans, non est per se mala: sed solum habet adiunctionem malitiam per accidens ex prava dispositione sufficiens ad quam non concurrit, quando compellente necessitate vituit suo iure, dando operam rei de se licita.

Amplius à tali peccato excusare potest ignorantia probabilitatis: quæ quidem ut talis sit, requirit diligentiam adhibitam in examinanda dispositione, quam vnumquodque sacramentum exigit: eane insit ipsum petenti: ut si adulterus baptizari petat, examinandus est num habeat fidem, & penitentiam sufficientem ad induendum Christum (iuxta illud ad Galat. 3. Quicunque baptizati est, Christum induit) siue ad hoc ut Christus habitet in corde ipsis, quod sit per fidem cum charitate (cui repugnat complacentia in peccato mortali) coniunctam: iuxta illud ad Ephes. 3. Flecto genua ante Patrem Domini mei Iesu Christi, &c. ut de vobis secundum diutias glorie sue virtute corroborari per Spiritum eius in interiori homine, Christum habitare per fidem in cordibus vestris in charitate radicati & fundati. Cum vero petiti quis humiliter Confirmationem, vel Eucharistiam, vel Extrémamunctionem, ut plurimum ipsa petitio sacramenti tali modo facta à persona idonea, potest absque alijs indicij

sufficiens signum esse bona dispositionis. Quamquam tamen prudenter directrix humanarum actionum, interdum dicitur opus esse diligentia in examinando verbi gratia, num is qui ad Confirmationem se offert iam sit baptizatus: aut num ille qui petet Eucharistiam sit confessus; aut is qui scitur prius habuisse impedimentum sue peccati, sue censura Ecclesiastica, num ab eo liberatus sit; aut si scandalum publicum dederit, num illud sublatum sit per iustam satisfactionem, ne ipsum accrescat collatione sacramenti. In sacramento Poenitentiae tenetur minister, tanquam iudex constitutus in causa Dei, accurate informare se de statu conscientiae penitentis; ut recte possit, nec temere sententiam proferre. In sacramento Ordinis tenetur Episcopus diligenter examinare qualitatem & statum personæ ordinandæ: num sit digna tanto Sacramento, ac sacro ministerio, ad quod admittitur. De qua re abunde instruitur à Concil. Trid. sess. 23. de refor. In Matrimonio denique, quod inducit vinculum perpetuum, cum multis oneribus, & molestiis de se coniunctum, pastores Ecclesiæ diligenter curare debent, ut illud contrahentes id faciant cum conditionibus requisitis, & dispositione debita, he vel iniustice contrahant, vel ponant obicem sacramentali gratia, sibi in tot difficultatibus imprimis necessaria. Videantur quæ Concil. Trid. habet in sequenti sess. 24. de reformatione matrimonii.

Vltimum documentum est: Neminem possit sacramentum petere ab eo qui illud valide, aut digne administrare non potest. Ratio est quia talis administratio exerceri nequit absque sacrilegio, quo sacramentorum institutori fiat grauis iniuria. Cuius sacrilegio cooperari, est pari scelere se contaminare iuxta ante traditum 14. documentum. Sic ergo peccat tali graui pescato qui procurat sacramentum administrari sibi ab eo, qui non est minister illius idoneus (ut se ab aliis à Sacerdote qui non habet sufficientem potestatem) aut administrari ab eo, qui quamvis sufficientem potestatem habeat, ea tamen sic male virus est, ut non perficiat sacramentum: aut quamvis illud sit valide administraturus, non potest tamen licite: quia nec est pastor illius, cui administratur, nec ab eodem pastore delegatus; aut etiam licet pastor sit, vel à pastore delegatus, tamen per Ecclesiæ præceptum prohibetur ministrare. In quibus casibus, nisi aliqua iusta causa, ut necessitas, potestatem faciat, talis actio sacra non potest absque peccato exerceri. Namque simpliciter carens potestate necessaria ad eiusmodi actionem, si eam exercere presumat, sacrilegium mortale committet: & carens sufficienti iurisdictione alienum ius usurpabit in iuste: & suspensus ab Ecclesia, violabit obedientiam eidem debitam. Quod cum ita sit, nemo licite poterit in talibus casibus, alteri cooperari, siue petendo, siue accipiendo ab eo sacramentum; siue etiam deseruiendo ei in ipsa actione sacra, quam exercet prava, nec aliter exercere valet, ob defectum potestatis legitime.

De difficultate, An licet petere, & accipere sacramentum à ministro, qui potest quidem illud licite administrare, sed ex malitia sua administraturus non est sine peccato: nempe quia perseverare vult in censura ecclesiastica, aut in peccato mortali: quid tenendum sit, aliquot propositionibus explicitius in t. par. lib. 1. cap. 14. n. 3. licet enim ad Sacramentum penitentiae peculiariter eas accommodauerimus, & que tamen pertinent ad omnia reliqua sacramenta. Ibidem ergo videantur.

DEO GRATIAS.